



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Quæstiones Canonicae De Decimis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]**


Pars IV. De Materia & Forma Decimarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

& Bullâ Urbani VIII. quæ incipit  
*Romanus Pontifex editâ a. 1641.*  
*5. Fun. sed torrens consuetudinis*  
*obstat, valétque hîc maximè illud*

*Eccli. c. 4. v. 32. Noli resistere con-*  
*tra faciem potentis, nec coneris*  
*contractum suum.*



# PARS IV.

## De Materia & Forma Decimarum.

### CAPUT I.

#### De Materia Decimarum.

#### QUÆSTIO I.

#### Quibus ex rebus solvenda sint Decima.

#### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| §10. Ratio exigendi decimas tam<br>personales quam prædiales.  | §15. Non debentur his ex eadem<br>re; bene tamen occasione eju-<br>dem rei. |
| §11. Debentur ex omnibus fructi-<br>bus & proventibus rerum mo-<br>bilium & immobilium.                                  | §16. Debentur etiam ex novalli-<br>bus.                                     |
| §12. Proventus molendinorum,<br>& fodinarum, merces locata-<br>rum adium, furnorum &c. com-<br>putantur inter prædiales. | §17. Toties solvenda sunt, quoties<br>res fructificat.                      |
| §13. Decima ex apibus sunt de ce-<br>ra & melle.   | §18. Personales ex omnibus lucris<br>justè partis.                          |
| §14. Solvenda sunt etiam de re-<br>bus minutis.  | §19. Enarrantur species lucrorum.   |
|  | §20. Consuetudo ferè sustulit per-<br>sonales.                              |

Duplex

510 **D**uplex quæstio est: de Reali-  
 bus seu Prædialibus decimis  
 una, altera de Personalibus. Ultra-  
 que enim debentur à Fidelibus, notum  
 est cum ex *c. 6. 22. & 23. h. t.* tum  
 ex eo, quòd singulis impendantur  
 officia spiritualia, & singulis propè  
 omnia. Cum igitur his officijs re-  
 spondeant decimæ, à singulis & ex  
 omnibus proventibus jure eas exi-  
 git Ecclesia. Neque obstat, quòd in  
 lege veteri solum data fuerint de  
 frugibus, & pomis arborum, ac ani-  
 malibus, quæ sub virga pastoris  
 transeunt, ut colligitur ex *c. ult. Le-  
 vit. in fine.* Nam imprimis in vete-  
 ri Testamento singulæ familiæ ha-  
 bebant suos agros, unde decimas  
 solvere possent, & ita necesse non  
 erat exigere personales: at novi Te-  
 stamenti tempore non solum mul-  
 tæ familiæ, sed integræ etiam urbes  
 agris carent: unde oportuit exigi  
 decimas personales; alioquin plu-  
 rimi nihil contribuerent, & ubi  
 nulla sunt prædia rustica, Clerus  
 ali non posset. 2. Singuli nunc plura  
 à Sacerdotibus accipiunt beneficia,  
 quam in lege veteri. 3. Penduntur  
 decimæ ad agnoscendum Dei in  
 nos cum supremum dominium  
 tum paternum amorem ac libera-  
 litatem: at non solum fructus ter-  
 ræ, sed etiam omnis alius quæstus  
 lictus Dei munere provenit. *quod-  
 cunque enim te pascit, ingenium  
 Dei est,* inquit S. August. *serm. 219.*  
*& inde decimas exigit, unde vi-  
 vis.*

Affert. I. Decimæ debentur ex *511*  
 omnibus fructibus & proventibus  
 rerum mobilium & immobilium.  
 Regula hæc traditur *c. 6. 7. 21. 22.*  
*23. 33. h. t. & tot. causâ 16. 9. 1.*  
*& 7.* Igitur debentur I. ex omni  
 frumento & grano. *cit. c. 21.* II.  
 ex fabis aliisque leguminibus. *c. 3.*  
*h. t.* III. ex vino. *cit. c. 22. & can.*  
*4. 16. 9. 7.* IV. ex pomis, nucibus,  
 amygdalis, castaneis, aliisque fru-  
 ctibus arborum. *cit. can. 4. & c. 7.*  
*ac 22. h. t.* V. ex foeno. *c. 5. eod. VI.*  
*ex melle & cera. c. 6.* VII. ex lana,  
 lacte, foetu animalium. *c. 4. 5. & 22.*  
*ac Clement. I. eod. can. 4. & 5. 16.*  
*9. 7.* VIII. ex locatione domûs,  
 piscinæ, furni, prati & c. *c. 4. & c. 28.*  
 IX. ex proventibus molendinao-  
 rum. *c. 23. & 28.* X. ex oleo, lino,  
 cannabe, croco, serico. Rebuff.  
*q. 8. n. 8. & q. 13. n. 41.* Aufrer. *q. 109.*  
 Moneta *c. 4. q. 1. n. 7.* ac alij. XI.  
 ex caule & oleribus: exceptis mo-  
 dicis, quæ ex hortis colliguntur  
 non ad lucrum, sed ad commodum  
 familiæ. *Sot. l. 9. de Just. q. 4. n. 2. ad*  
*3.* Suar. *c. 34. n. 7.* Barbof. *cit. c. 28.*  
*§. 1. n. 5.* ac alij. XII. ex stramine  
 & palea, si triticum sortè decime-  
 tur post trituram. *Panor. in c. 5. h. t.*  
*n. 2.* Suar. *l. c. n. 3.* aliisque apud Bar-  
 bof. *l. c. n. 2.* quia etiam palea inter  
 fructus computatur, ut colligunt  
 DD. ex *l. adeo. §. cum quis. ff. de acq.*  
*rer. dom.* XIII. ex lapidibus: non  
 quòd ex lapidibus decimus quisque  
 dandus sit, sed quòd decima pars  
 pretij, quod quis inde redigit. Suar.

*c. 34. n. 3. Rebuff. q. 8. n. 23. Moneta l. c. n. 33. Azor p. 1. l. 7. c. 34. q. 9. cum Joan. Andr. ac alijs. Idem tradunt de auri, argenti, aliisque fodinis. XIV. ex lignis sylvæ cædux. Rebuff. n. 26. Azor l. c. Moneta n. 13. cum Card. ac alijs: nimirum ut ex decem fasciculis decimus solvatur Parocho loci, ubi ligna crescunt Barbof. n. 15. ac alijs.*

§ 12 Ex modò dictis sequitur I. Decimas enarratas deberi Ecclesiæ, intra cujus fines sita est res fructifera, tametsi, qui fructus percipit, alibi habitet: quia sunt decimæ prædiales. Solùm dubitari posset de proventibus molendinorum, mercede ex locatis ædibus, furnis &c. lapidibus item ac metallis. Verùm has quoque decimas prædiales censendas esse tenent cum alijs Suar. *l. c. n. 3. & 7. & Leûren. l. c. q. 468. n. 4. & 7. ex l. 9. §. 2. & 3. ff. de usufr. ubi lapidina & metalla in usufructu fundi computantur, & ex c. 28. h. t. ubi domus, molendinum, piscaria, & clibanus accensentur rebus, ex quarum fructibus decima debetur: & prohibetur, ne expensæ ex earum decimis deducantur; quod proprium est decimis prædialibus. Idem supponitur c. 4. h. t. & c. 7. de Pactis.*

§ 13 Sequitur II. Quando *c. 6. h. t.* dicitur, solvendas esse decimas ex apibus, id intelligendum esse de earum cera & melle; nam de earum foetibus & novis examinibus decima non solvitur; sive de rigore Ju-

ris, quia nihil de illis expressit: sive quia apes feræ reputantur *s. apes. Inst. de rer. divis. & sic non tam fundi, quàm industriæ capientium fructus esse censentur, sicut aliæ feræ, de quibus mox assert. 2.*

Sequitur III. etiam de rebus minutis decimas prædiales solvendas esse, ut constat cum ex cit. Juribus, ac præcipue ex *c. 3. & 30. h. t.* tum ex eo, quòd licet singulæ earum videantur minimæ, cumulus tamen omnium potest esse magni valoris: ac licet modica sint, quæ singulis annis penduntur, jus tamen perpetuum quotannis modicum quid percipiendi non est modici valoris. Ad auctoritatem S. Thomæ, qui *2. 2. q. 87. a. 2. ad 2.* dicere videtur, decimas minutas esse solum de consilio, respondent Sotus *l. 9. de Just. q. 4. ad 3. & Suar. c. 34. in fine,* esse intelligendum de minutissimis oleribus, quæ ex privatis hortis colliguntur non ad lucrum, sed ad familiæ duntaxat comòdum aut voluptatem. Quam limitationem, ut addit Suarez, omnes adhibent etiam in domesticis vivarijs & piscinis.

Sequitur IV. etsi ex eadem re decimæ bis non debeantur, posse tamen contingere, ut ex eadem vel occasione ejusdem duplex decima debeatur, quando videlicet duplex est fructus, ut observat Suar. *l. c. n. 9.* Sic ex frumento, & pecore debentur decimæ prædiales; personales verò, si quis circa illa negotietur emendo,

emendo, & postea carius vendendo: nam frumentum & animalium foetus, lana &c. sunt fructus prædiales: lucrum verò, quod ex iisdem venditis comparatur, est fructus industrialis; decimæ autem tam ex industrialibus quàm ex prædialibus fructibus debentur. Similiter ex eadem re nonnunquam solvenda erit duplex decima prædialis, nimirum: ex prato decima foeni, & decima ex foetibus animalium, quæ ex prato aluntur: etsi enim eadem res sit, ex quibus fructus proveniunt, ipsi tamen fructus sunt multiplices ac diversi. Unde quando dicitur, ex eadem re non deberi duplices decimas, nomine *rei* intelliguntur fructus, non fundus, ex quo fructus proveniunt.

116 Sequitur V: etiam ex novalibus decimas esse solvendas: quia, ut dictum est, solvendæ sunt ex omni fructu & proventu; estque de fructibus novalium aperte decisum *c. 4. 12. 13. 27. 29. h. t.*

117 Sequitur VI. si idem fundus bis in anno fructificet, ut sæpe fit, dum post collectas fruges conferitur rapis, decimas ex singulis fructibus deberi, ut traditur *c. 21. h. t.* quia, ut dictum est, ex omni fructu solvendæ sunt.

118 Assert. II. Decimæ Personales, stando in Jure communi Ecclesiæ, solvendæ sunt ex omnibus lucris, quæ verè ac justè acquiruntur. Est communis omnium sententia, & evidens ex varijs Canonibus: nam

*can. 66. 16. q. 1. ex S. August. Ser. 219. dicitur: de militia, de negotio, de artificio redde decimas.* Estque manifestum ex verbis tam antecedentibus, quàm subsequentibus, non consilium, sed præceptum dari. Juxta *c. 22. h. t. de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, decima sunt Ministris Ecclesiæ tribuenda.* Juxta *c. 23. eod. fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Ratio ita præcipiendi erat, quia non est major ratio de uno lucro, quàm de alio: cum omnia honesta lucra proveniant à liberali DEI manu, & de omnibus DEUS sit honorandus. Ministeria quoque sacra omnibus fidelibus & singulis ferè omnia, impenduntur: unde non est ratio, cur non etiam de omnibus & singulis proventibus solvantur decimæ; item cur illi ad decimas teneantur, qui colligunt fructus prædiales, & non etiam illi, qui industriales, & cur illi potiùs fructus decimandi sint, quàm isti.

Consequens ex dictis est I. solvendas esse decimas non tantùm 119 ex venatione propriè dicta, sed etiam ex aucupio, & piscatu: tum quia *cit. c. 22.* exiguntur decimæ de venatione; venatio autem nomen est generale, comprehendens etiam aucupium & piscatum: tum quia etiam istorum proventus inter fructus computantur *l. 9. §. 5. ff. de usufr. & quemad.* Esse tamen has

has decimas personales, omnium est sententia, teste Suar. *cit. c. 34. n. 7.* I. Artifices & opifices de lucris artificij, juxta *cit. can. 66.* III. Negotiatores & Institores de lucris negotiationis & mercaturæ. *cit. c. 22. & 28. h. t.* Non tamen debentur decimæ pretij pro re vendita accepti, nisi lucrum aliquod accrescat ex venditione: cum premium neque sit fructus personæ, neque rei, sed æquivalenter ipsa res; neque debetur decima personalis nisi ex lucro, ubi ergo hoc non est, illa locum non habet. IV. Milites non tantum de præda & captis in bello justo, sed etiam de stipendijs. *cit. can. 66. Rebuff. cit. q. 8. n. 11. Barbof. cit. §. 1. n. 19. ac passim alij.* V. Judices, Consiliarij, Doctores, Advocati, Procuratores, Notarij, de suis salarijs, sportulis &c. *cit. can. 66. & Gloss. ibi. ac in cit. c. 28. Rebuff. q. 12. n. 5. Moneta cit. c. 4. q. 1. n. 28. cum Anchar. ac alijs.* VI. Mercenarij ac famuli de sua mercede. *Rebuff. q. 5. n. 16. Moneta n. 31. cum cit. Gloss. Azor, ac alijs.* Ratio

dictorum est, quia etsi hujusmodi luera sint justa stipendia laborum, sunt tamen simul fructus personæ. *c. 23. h. t. & cit. can. 66.* VII. Debetur decima ex lucro per lusum jultum acquisito, ut benè tradit Suar. *c. 32. n. 5.* nemine refragante, cum juxta *cit.* Jura decimæ debeantur ex omni lucro justè parto. VIII. Debetur decima de quacunq; re etiam immobili, si per modum lucri ex propria actione obtinetur, v. g. si cui pro stipendio aut salario aliquot annorum detur domus aut ager, ut fusè probat Suar. *l. c. n. 4.* addens tamen, non deberi decimam in specie, v. g. decimum agri jugerum, sed in æstimatione & pretio.

Haftenus dicta procedunt de <sup>100</sup> Jure communi scripto. Aliud est de consuetudinario, vi cujus decimæ personales plerisque in locis non amplius debentur. Standum autem esse consuetudine etiam circa decimas, constat ex *c. 20. & 32. h. t. & dixi supra à n. 255.*

## QUÆSTIO II.

*An debeantur Decimæ ex ijs, quæ titulo lucrativo acquiruntur.*

### SUMMARIUM.

521. *Opinio affirmativa proponitur.*

522. *Præfertur negativa.*

523. *Solvuntur opposita.*

524. *Fructus rei acquisita obnoxij sunt decimationi.*

Certum

21 **C**ertum est, ex rebus emptione, permutatione, alióve titulo oneroso comparatis, siue mobiles sint siue immobiles, non deberi decimam, quia non sunt lucrum aliquod ex industria personæ, nec fructus prædiales respectu illius, qui comparavit; ponimus enim, quod jam sint decimatæ, si sint fructus, v.g. frumentum, vinum. At verò magna controversia est, an debeantur decimæ ex rebus titulo lucrativo obtentis, ut donatione, legato, hæreditate. Deberi absolute affirmant Hostiens. & Sylvester. Idem sentire videntur Andr. Hisp. q. 12. & Rebuff. q. 8. n. 2. dum ajunt, eas deberi ex omni lucro castrensi & quasi, adventitio, & profectio. Rationem dant: quia jura decimas exigunt de omni lucro: atqui lucrum sunt, quæ titulo lucrativo acquiruntur. Limitant tamen Gloss. in c. 28. h. t. V. quasi, alique multi I. in filio, qui succedit patri in hæreditate, vel non habente fructus, vel habente illos jam decimatos: quia tunc non censetur filius aliquid lucrari, sed possidere incipere, quod jure suum jam erat. Alij hanc exceptionem extendunt ad omnes, qui ab intestato succedunt: quia etiam isti, ut ajunt, non tam acquirunt, quam rem sibi debitam accipiunt. Limitant II. cit. Gloss. multique alij, ac ajunt, deberi decimam solum de mobilibus; non verò de immobilibus: quia frugum nomine, ut ait Rebuff. cit.

q. n. ult. non veniunt res immobiles, & si ex his quoque deberetur decima, omnia ferè bona immobilia ad Ecclesiam pervenirent.

Assert. I. Decimæ non debentur ex bonis titulo etiam lucrativo acquisitis. Inclinat in hanc sententiam Innoc. in c. 22. h. t. atque fuisse opinionem antiquiorem. Fusè eam præter alios propugnant Valent. tom. 3. Theol. disp. 6. q. 5. pun. 2. & Suar. c. 31. à n. 6. Ratio est: quia non sunt augenda onera sine Jure cogente; at ex nullo Jure vel constat vel colligitur, ex his rebus decimam esse solvendam: nam Jus solum exigit, ut illa solvatur ex fructibus prædialibus, & ex lucris, quæ quis facit ex sua industria & actione: atqui dictæ res nec sunt fructus prædiales, uti patet; nec lucra ex acquirentis industria & actione, cum acquirantur ex alterius, qui legat, vel donat, voluntate & actione. Confirmatur I. Juxta adversarios non debent decimam ex hæreditarijs rebus, qui ab intestato succedunt, saltem si sunt hæredes sui, qui in testamento præteriri nequeunt: ergo neque alij tenentur: nam quod hæres suus quoddam jus jam antecedenter habet ad hæreditatem, nihil ad rem præsentem facit, quia verè de novo aliquid acquirit, dum adit hæreditatem: sicut mercenarius de novo aliquid acquirit, dum accipit mercedem operæ, tametsi jam antecedenter Jus quoddam habuerit post operam

H h præ-

præstitam, & idcirco non obstante hoc jure tenetur ad decimam mercedis solvendam. Unde eximi à decima præstanda hæres suos non poterit, nisi supponamus, non de omni lucro quocunque modo nobis accedente deberi decimam, sed solum de eo, quod propria actione comparamus: at hæc ratio æqualiter procedit de omni alio hærede, legatario, donatario. Confirmatur II. Ex eleemosynis nec Religiosi nec alij pauperes debent decimas, cum nullus canon, nullus Doctorum, hanc ipsis imponat obligationem, licet illæ sint quedam bona licite comparata: quia videlicet non tam ipsorum industriâ & labore, tametsi eas petant, quam aliorum actione comparantur. At hæc ratio pugnat æquè pro legato, donato &c. Neque valet, si dicas, ideò ex eleemosynis decimas non deberi, quia pauperibus sunt necessariae, vel quia sunt minimæ, & de lucris minimis decimæ non exiguntur: nam quantitas post unum v. g. annum sæpe magna est, longèque major, quam annui fructus olerum & caulium; ex quibus nihilominus decimæ solvuntur; sæpe quoque minùs necessariae sunt pauperib<sup>9</sup>, quam mercenario sua merces, quam tamen vi Juris scripti decimare tenetur.

§ 23 Hinc verum non est, quòd illimitatè dicebatur, à SS. Canonibus exigi decimas ex omni lucro: nam solum exigunt prædiales ex fructi-

bus prædiorum, & personales ex fructibus personarum, qui sunt actiones & labores ipsius personæ, & lucra illorum: at quæ donantur, aut ex testamento vel ab intestato obveniunt, neutro modo sunt fructus, ergo non sunt materia decimarum. Neque obstat, quòd c. 22. b. t. dicitur, solvendas esse decimas de omnibus bonis, & c. 23. de omnibus, quæ fidelis homo licitè potest acquirere. quia hæc explicanda sunt juxta contextum & subjectam materiam de cunctis proventibus, ut loquitur textus c. 26. b. t. at proventus sunt redditus vel fructus, quorum neutrum sunt legata, & dona: quæ explicatio si bona non esset, solvendæ forent decimæ etiam ex immobilibus bonis hæreditarijs vel legatis, quia etiam hæc verè bona sunt: quod tamen nec ipsi adversarij admittunt.

Assert. II. Si res ad donata-<sup>§ 24</sup> rium, vel hæredem transeat cum fructibus pendentibus, v. g. hortus aut ager, tenetur is postea decimas de fructibus collectis solvere. Idem est, si fructus indecimati, v. g. frumentum, aut vinum, ad ipsum perveniant. Assertio certa est, & patet ratio: quia res transit cum suo onere, & sicut novus possessor tenetur eas solvere de fructibus postea proventuris, ita de illis quoque, qui ad ipsum pervenerunt nondum ab antecessore decimati; quia nascuntur cum hac obligatione, & cum ea ad quemcunque possessorem  
c ran-



transeunt, tamen hic eos habeat ex titulo oneroso, v. g. emptionis aut permutationis. Si verò fructus jam decimati ad ipsum transierunt, nihil amplius solvendum erit de novem residuis partibus, sive titu-

lo lucrativo sive oneroso transierint; quia non habent onus reale, nec debetur inde decima prædialis, utpote jam soluta; nec personalis, cum, ut dixi, non sint fructus industriales.

## Q U Æ S T I O I I I.

*An debeantur Decimæ ex illicitè acquisitis?*

### S U M M A R I U M.

§25. Duplex genus rerum illicitè acquisitarum.

§26. Prædiales decimæ solvantur ex illicitè acquisitis.

§27. Non item personales ex re-

bus restitutioni obnoxijis.

§28. §29. Sæcus, si res restituenda non sunt.

§30. Nisi turpitudine accipientis sit notoria.

§25 **Q**uæstio est tam de ipsis rebus illicitè acquisitis, quam de earum fructibus. Et res quidem illicitè acquisitæ duplicis generis sunt. Aliquæ enim contra justitiam detinentur, ita ut vel omnino non transeant in dominium detentoris, uti sunt res furtivæ, raptæque, vel transeant quidem in dominium accipientis, uti multi sentiunt de usuris, restitutioni tamen sint obnoxijæ. Aliæ illicitè quidem obtinentur, sed fiunt accipientis, uti est quæstus meretricius, quæstus histriionum, merces data ficario, stipendium militis in bello injusto operam locantis, res seu mobiles seu immobiles ex usuris vel pecuniâ furtivâ comparatæ &c. De singulis ordine dicendum est.

Assert. I. Decimæ prædiales solvendæ sunt de rebus illicitè acquisitis, sive res sint in dominio obtinentis sive non. Sensus est, quod de fructibus rerum illicitè obtentorum, v. g. agri, aut gregis injustè occupati, aut pecunijs furtivis vel usurarijs comparati, decimæ solvendæ sunt. Ita omnes cum S. Thoma 2.2. q.78. a.2. Ratio est I. Quia onus decimarum quemcunque possessorem sive justum sive injustum sequitur. c. 33. b. t. c. 18. §. Hac eadem de Usur. c. 5. de Pignor. c. 34. de sent. Ex com. l. Imperatoris ff. de Publicanis. II. Quia aliàs prædo foret melioris conditionis, quam legitimus possessor, contra l. si à domino §. ult. ff. de Petit. hered. III. Quia proventus fructuum non est

H h a ex

ex illicita actione, sed à natura & liberalitate Divina, ut notat Turrecrem. *in can. 66. 16. q. 1. n. 5.* unde post S. Raym. & S. Thomam notat *n. 4.* decimam deberi, tametsi semine furtivo seminatus fuerit ager.

527 Assert. II. Decimæ personales non debentur ex rebus, quæ contra justitiam commutativam comparatæ sunt, ita ut in comparantis dominium non transferint, aut transferint quidem, sed restituendæ sint, quales v. g. sunt furto, rapina, injustis tributis, exactionibus, & concussionibus comparatæ, excessus justii pretij ex re vendita, usuræ &c. Ita rursus omnes cum S. Thoma *l. c. ad 2.* Ratio clara est, quia qui sic lucratur, non acquirit dominium rei, & sic non potest de ea disponere, ergo eam vel partem ejusdem non potest Ecclesiæ dare. Item qui rem ita obtinet, ut eam teneatur restituere, revera non lucratur, quia sic acquisita non computatur in ejus bonis: *id enim bonorum cujusque esse intelligitur; quod aut alieno superest*, ut ait J.C. *l. 11. ff. de fure fisci.*

528 Assert. III. Decimæ personales debentur per se loquendo ex rebus turpiter quidem acquisitis, sed sine injuria danti illata, & sine obligatione restituendi, e. g. de pecunijs, quas lucratur prostituta femina, histrio, ficarius, miles ex stipendio in bello injusto. Ita cum S. Thoma, & Hostiensi Sylvester *V. Decima. q. 6. Suar. c. 32. n. 6. Rebuff. q. 5.*

*n. 17.* ac communis aliorum, Rationem dant: quia etsi ista turpiter acquirantur, transeunt tamen in dominium accipientis sine obligatione restituendi, suntque proinde lucra propriè dicta, & sic comprehenduntur sub regula generali de solvendis decimis personalibus. Accedit, quod non debet esse melioris conditionis, qui turpiter, quam qui licitè & justè lucratur: aliàs enim consequeretur totum lucrum sine onere decimæ solum propter suam turpitudinem, cum tamen nemo ex sua iniquitate commodum ferre debeat. *c. Intelleximus de Judicijs.*

Dices: Miles in bello injusto injuriam facit illi, contra quem militat, concubina uxori adulteri, sicarius occiso, ejusque uxori &c. at quæ obtinentur contra justitiam commutativam, non sunt obnoxia oneri decimarum juxta modò dicta *n. 527.* R. læsionem justitiæ hic considerandam esse respectu illius, à quo miles v. g. aut sicarius obtinet mercedem, cum agatur de injustitia excludente jus accipiendi aut retinendi: hæc autem non committitur adversus eum, qui mercedem dat. Ita accipiendum est, quod dicitur *c. 23. h. t.* dandas esse decimas ab homine *fidei de omnibus, quæ potest licitè acquirere*; sensus enim non est, quasi illæ de nullo lucro illicitè comparato solvendæ sint; sed quod non debeantur de rebus contra justitiam

tiam commut. comparatis & restitutioni obnoxijis, ut Glossa ibi alitque explicant.

130 **A**ssert. IV. Ecclesia non debet acceptare decimas ex lucris turpiter factis, si crimen, ex quo illa proveniunt, sit notorium, ut bene observant Innoc. *in cit. c. 23.* & reliqui DD. ex *can. 8. 7. 9. 4. & can. 2. dist. 90.* ubi Ecclesia rejicit oblationes & dona eorum, qui pauperes opprimunt, aliorumque, quorum publica & notoria est improbitas, ne hanc videatur approbare illa acceptando. Hinc diximus *n. 528.* decimas ex lucris turpiter partis deberi *per se loquendo*, ut hunc casum exciperemus. Possunt verò acceptari, imò exigi dictæ decimæ, si peccaminosa lucri causa

non est publica, & acceptatio non est scandalosa, ut post Turrecr. *l. c.* docent Rebuff. *l. c.* Suar. *n. 10.* ac passim alij. Imò addit S. Th. *l. c.* posse Ecclesiam etiam à peccatore publico post ætam pœnitentiam, & quando de vitæ mutatione constat, decimas accipere etiam de anterioribus lucris. Idemque cum S. Raym. & Innoc. affirmat Silvest. *l. c.* Plus addunt alij apud Suar. *n. 9.* nimirum peccatorem etiam publicum, quamvis Ecclesia ab eo de lucris injustis non recipiat decimas, teneri tamen eas dare pauperibus, vel in alia bona opera insumere. Sed non vacat immorari, cum, ut non semel diximus, personales decimæ per consuetudinem ferè sint abrogatæ.

## QUÆSTIO IV.

*Utrum Decimæ integrè solvenda sint?*

### SUMMARIUM.

531. *Duplex questio cum rationibus dubitandi.*

532. *Prædiales decimæ solvenda sunt non deductis expensis.*

533. *Consecratoria doctrina.*

534. *Personales non nisi deductis expensis debentur.*

535. *Nec prædiales debentur ex fructibus melioribus.*

131 **S**ensus quæstionis est, utrum debeantur non deductis prius expensis, videlicet famulorum aliarumque operarum mercede, semine, æstimatione laboris in colendo fundo, censibus, tributis, vestigali-

bus, & portorijis, canone ex re emphyteutica solvendo, sumptibus in negotiationem, in vehicula aliisque instrumenta ac jumenta factis &c. Item num cum Abele offerendi sint DEO decimales fructus meliores,

Hh 3

aa

an verò cum Caino seligi possint minores deteriorésque. Ad I. Quæstionem videtur dicendum, decimas, quæcunque sint, non deberi nisi deductis prius expensis. I. Quia Ecclesia exigit decimas ex fructibus; atqui *fructus intelliguntur deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratiâ sunt*, ut ait Paulus l. 36. §. fin. ff. de hered. pet. &, ut Ulp. l. 7. ff. sol. matr. *fructus eos esse constat, qui deductâ impensâ supererunt*. Ac juxta Impm. l. 1. C. de fruct. & lit. expens. *fructuum nomine continetur, quod justis sumptibus deductis superest*. Idem habetur l. 46. ff. de Usur. l. 4. & l. 6. §. 3. ff. de Oper. servor. l. 51. prin. ff. fam. hercisc. Hinc etiam si agatur de commo Reipubl. & Principis, tributum tamen de fructibus solvendum non est, nisi deductis expensis, uti tenent Angel. Imol. Aretin. Alex. & Jason apud Capycium *decif. 20. n. 8*. II. Præstatio reddecimæ seu duplicis decimæ ex eadem re æquitati repugnat. *arg. c. 32. b. t.* Sed nisi deducatur semen, aliæque impensæ, eadem res reddecimatur, præsertim cum sæpe contingat non plures fructus nasci, quam fuerit quantitas seminis. III. Certum est, ut mox dicetur, personales decimas non deberi nisi deductis expensis, ergo nec prædiales alio modo debentur: quia par utrimque est ratio.

532 Assert. I. Decimæ prædiales sol-

vi debent integræ, & non deducto semine, aliisque expensis. Ita statuitur c. 4. §. 8. 21. 23. & 32. b. t. ubi præcipitur, ut perfolvantur *absque diminutione aliqua, cum integritate, & plenarie*, & c. 26. ac 28. ubi expressè prohibetur deductio seminis & sumptuum, qui fiunt in agricultura: denique c. 33. ubi vetatur deductio tributorum & censuum. Concordant Statut. Bavar. tit. 28. art. 6. & 7. Ex Doctoribus *ne unus quidem contradicit*, ut loquitur Tirac. de Retract. gentil §. 15. gloss. 1. n. 10. *nam extiam aperti, ut nullo modo cavillari possint*. In alleganda tamen ratione non conveniunt, estque difficile eam investigare, ut ait Barbof. *cit. c. 28. §. 1. n. 35*. Vulgaris responsio est, fructus considerari posse vel civiliter, id est, prout accipiuntur à Jure civili, nimirum deductis expensis; vel naturaliter, & secundum veritatem rei, sub qua consideratione ea, quæ à terra & animalibus proveniunt, fructus sunt, tametsi sumptus in adjuvanda natura facti sint; & hoc posteriore modo fructus considerari quoad solutionem decimarum. At hæc vera quidem sunt, sed petitur adhuc ratio, cur fructus hic potius naturaliter, quam civiliter sumantur. Hanc varij variam reddunt. I. possessor fundi obligatus ad decimas similis est colono partiario; at iste non deducit expensas ex ea

par-

parte fructuum, quam socio debet. Ita Alex. Zaf. Barbof. & Brunne-  
 man. ad *cit. l. 7. ff. solut. matr.* & ante ip-  
 sos Innocent. in *cit. c. 26.* 2. In le-  
 ge Mosaica debebantur prædiales  
 decimæ integræ & non deductis ex-  
 pensis: igitur & nunc ita debentur;  
 quia si olim Sacerdotibus & Levi-  
 tis jubente DEO sic solvendæ er-  
 rant, longè majore ratione, ut dixi-  
 mus *n. 47. & seqq.* nunc solvendæ  
 sunt sacris Ministris. Ita Barbof. *l. c.*  
*n. 37.* ac alij. 3. Quando agitur  
 de favore animæ vel piæ causæ, fru-  
 ctus sumuntur naturaliter, & idcir-  
 co si ex dispositione legis vel statu-  
 ti vel etiam ex dispositione homi-  
 nis debentur Ecclesiæ vel alteri piæ  
 causæ, non deducuntur expensæ, ut  
 volunt Bart. Bald. Alex. Jafon, &  
 Imola apud Capyc. *l. c. n. 8. & 9.*  
 4. Quando debentur fructus om-  
 nes, sumuntur quidem civiliter;  
 quando verò vel conventionem vel  
 statuto debetur solum quota pars,  
 intelliguntur naturaliter: at Eccle-  
 siæ debetur sola decima pars, reli-  
 quis novem manentibus apud do-  
 minum. Ita Suar. *c. 35. n. 6.* cum  
 Bart. Cardin. Panor. Hostiens. So-  
 cin. ac alijs relatis à Capyc. *l. c. à n.*  
*11.* 5. Decimæ solvantur in re-  
 cognitionem supremi dominij Di-  
 vini: atqui certissimum est, ut ait  
 Illustriss. D. Schmid *ad cit. art. 6.*  
*Statut. Bavar.* quòd ubique terra-  
 rum rustici & coloni, quæ dominis  
 suis temporalibus & terrenis in re-  
 cognitionem directi dominij præ-

stant, integerrimè nullarum ex-  
 pensarum habita ratione solvere  
 debeant; ergo etiam supremo do-  
 mino, quoniam temporales melio-  
 ris conditionis esse non convenit.

Ex dictis consequens est I. con- 533  
 formem Juri esse nostræ patriæ  
 consuetudinem, vi cujus decima-  
 tores non tenentur cum agrorum  
 dominis & colonis concurrere ad  
 sumptus, qui sæpe non modici  
 fiunt in sepes & custodes appostos  
 pro defensione segetum contra fe-  
 ras: etsi enim *sicuti lucrum, ita*  
*damnum quoque commune esse o-*  
*portet l. 52. §. 4. ff. pro socio,* quia  
 tamen decimæ prædiales integrè  
 ac sine deductione expensarum  
 solvi debent, idcirco nec dicti sum-  
 ptus deduci queunt: cum non sit  
 ratio, cur potius deducantur, qui  
 fiunt in custodiendas fruges, quàm  
 illi, qui fiunt in producendas. Illud  
 libenter admittimus, quod asserit  
 Illustriss. D. Schmid *ad cit. tit. 28.*  
*Statut. Bavar. art. 6. n. 7.* & à nemi-  
 ne in dubium vocari posse existi-  
 mat, illam frumenti partem, v. g.  
 vigesimam, quæ solvitur pro mer-  
 cede tritulantibus, detrahe dam-  
 esse etiam ex decimis, si istæ fortè  
 juxta consuetudinem loci solvan-  
 tur in granis jam excussis: cum  
 enim, ut infra dicitur *n. 547. &*  
*seqq.* fruges decimales solum de-  
 beantur ut crescunt, & in culmis ac  
 stramine, colonus per se seclusà  
 consuetudine non tenetur grana  
 suis sumptibus excutere, & decima-  
 torem

torem hoc onere sublevare. Consequens est III. Illicitum esse modum decimandi, quo coloni alicubi novem scamnorum seu porcarum fruges colligunt, & decimum intactum relinquunt demetendum ab ipso decimatore: quia debentur decimæ ex fructibus collectis & sine expensis decimatoris, quas tamen iste hac ratione facere deberet. Posse tamen etiam hinc prævalere consuetudinem, modumque illum licitum reddi, constat ex dictis n. 260. & seqq.

534 Affert. II. Decimæ personales non debentur, nisi deductis expensis. Ita omnes DD. ex c. 28. h. t. ubi dicitur, concessum esse expensas necessarias ex negotiatione deducere. Additurque, cum ipsa (res) venduntur, deducendas esse expensas, & de residuo, quasi de lucro decimas persolvendas. Igitur si mercator in merces comparandas impendit 100. aureos, ac eas postea vendit 150. ex hac summa prius deducit 100. quibus emit, postea portoria ac vectigalia, & impendia itineris, & si fortè his deductis remaneat lucrum 20. aureorum, tenetur ex his duos solvere decimarum nomine. Ratio est: quia personalis decima præcipitur solum solvi de lucro; at lucrum solum est, quod remanet deductis expensis, neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto, ut ait Paul. l. 30. ff. pro socio. Alias rationes addunt Glossa, Hostiens.

Panorm. ac alij in cit. c. 28. apud Suar. c. 33. n. 3. & Monet. c. 6. g. 4. n. 34.

Quæstio verò est, quid nomine impensarum hic intelligatur, utrum nimirum etiam illæ, quæ faciendæ sunt ad sustentandam ipsam personam officialis, advocati, militis, negotiatoris, mercenarij &c. nec non famulorum & familiarum. Distinguendum hic est inter duplices sumptus: aliqui enim non causantur ex ipso officio vel arte, sed per se necessarij sunt, ita ut absque exercitio artis vel lucrative actionis evitari nequeant; aut sunt voluntarij, ut sine illis exerceri negotiatio vel ars possit: alij sunt, quos ipsum exercitium artis vel officij exigit, uti sunt pretia mercium comparatarum, portoria in ijs transvehendis, vectigalia &c. Hos posteriores deduci posse, non illos priores, constans est sententia DD. uti apparet ex ijs, quæ tradunt Suar. cit. c. 33. in fin. Canif. l. c. Monet. l. c. n. 32. Rebuff. g. 11. n. 4. & 6. Ex hæcenus dictis facile eruitur responsio ad ea, quæ primæ assertioni n. 530. opponebantur. Fusè illa rejicit Suar. c. 35. & Em. Gonzal. in c. 7. h. t. n. 8. Mihi non vacat immorari.

Affert. III. Quemadmodum non datur obligatio meliores fructus pro decimis deligendi, ita datur obligatio non seligendi viliores & minores. Ita jam olim statutum fuerat de decimis Levit. 27. non  
lli.

*eligitur nec bonum nec malum: & sequitur praxis Ecclesiæ Christi. Ratio primæ partis est, quia sicut non datur obligatio in pensionibus & tributis, quæ hominibus solvuntur, meliora & optima quæque dandi, ita illa Deo offerre nullibi jubemur. Ratio secundæ partis est: quia decimæ fideliter solvendæ sunt. At quid est fideliter decimas dare? nisi ut nec pejus nec minus aliquando Deo offerat, aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus &c. ut inquit S. Ambros. relat. can. 4. 16. 9. 7. Hinc in frugibus decimus quisque manipulus, in foetibus animalium decimum caput, in pomis arborum decimus sextarius, quem fors numeranti aut mensuranti obtulerit, solvendus est. Ex dictis sequitur I. Quòd si decimator prudenter dubitet, an fideliter solutæ sint decimæ, jus habeat repetendi numerationem manipulorum, foetuum &c. uti statuitur tit. 28. art. 2. Statut. Bavar. Ein jeder Zehendt Herr ist befugt, ob (wann) er auß red-*

lichen Anzeigungen und Vermuthungen / einer Gefahr / Betrugs / oder sonst zu besorgen / daß ihm der Zehendt nit wäre völig geraicht worden, den Zehendt Mann in dem Stadel außzuzehenden / und dadurch / ob der Zehendt Mann gleich Recht erfunden / weder Ross / Wagen / wie durch die Zehendt Leuth je zu Zeiten will angezogen werden / noch ainig andere Straff nit verworchen. Sequitur II. Quòd decimator possit inhibere colonis, ne decimas separant, nisi se vel suo nuntio præsentent, uti tradunt Specul. h. t. ad fin. ubi id probat ex varijs leg. & Covarr. l. 1. var. c. 17. n. 8. v. c. et avd, cum Panor. ac aliorum communi in c. 10. h. t. Si verò alicubi consuetudo viget, ut absente decimatore decimatio vel in horreis fiat, & hic probare possit, se multoties inde læsum, potest ab Ordinario petere, ut talem consuetudinem reddat invalidam, ut benè censet Engel h. t. §. 1. n. 13. eò quòd illa tunc sit irrationabilis, quia occasionem peccandi præbet.

## CAPUT II.

## De Forma Decimarum.

## QUÆSTIO I.

*An solvendæ sint Decimæ, antequam exigantur?*

Ii

SUM-

## SUMMARIUM.

§37. Multiplex quaestio de forma decimarum proponitur.

§38. Ratio asserendi, eas non deberi nisi petitas.

§39. Debentur, etsi non exigantur.

§37 **F**ormæ nomine hîc intelligimus modum, quo solutio decimarum, facienda est. Integritas earum, quam multi huc revocant, pertinet ad quantitatem, seu materiam; & idcirco de illa potius cap. præced. quàm isto, agendum erat. Ad modum ritè reducitur tempus solvendi. Quæri autem hîc potest 1. an decimæ solvendæ sint non petitæ. 2. An si ultrò vel post petitionem decimatoris non solvuntur, propria ejusdem auctoritate tolli possint. 3. Utrùm fructus in campo, an in horreo, decimandi sint. 4. An inferendæ in horreum aut cellam decimatoris. 5. Quomodo numeratio manipulorum vel mensurarum facienda sit. 6. An decimæ solvendæ sint in natura, an verò pecunijs compensari possint. 7. Quando solvendæ sint.

§38 Ad 1. Quæstionem respondere videntur S. Thom. 2.2. q. 87. art. 1. ad 5. & Cajetan. *ibi*, Cardin. in c. 3. h. t. Archid. in c. 1. h. t. in 6. S. Antonin. 2. p. tit. 4. c. 3. Sals. Paris. vol. 1. consil. 15. Rot. Rom. in antiqu. decis. 1. n. 1. decimas non deberi nisi petitas. Rationem dat Cardin. quia *cit.* c. 3. dicitur, monendos

§40. Respondetur ad opposita.

§41. Opinio asserentium, hoc modo non solutas sequenti peti non posse.

§42. Statuitur oppositum.

esse Parochianos, ut solvant: ergo non debent, nisi moneantur. Accedit, quòd Paulus 1. Corinth. 9. ait, se nihil à Corinthijs petijisse aut recepisse, nec illos accusat, quòd nihil ultrò solverint: ergo nihil debetur Ministris sacris, nisi petant.

Assert. I. Decimæ debentur etiam antequam exigantur. Ita post Gloss. Anchar. Panor. ac alios in c. 3. & 7. h. t. Covarr. l. c. Rebuff. q. 12. n. 7. Guttier. l. 2. Canon. c. 21. n. 45. Ant. Faber l. 1. Cod. tit. 2. de fin. 66. ac aliorum communis, & certa, ut loquitur Suar. c. 37. n. 7. Rationem dant 1. quia decimæ sine diminutione & integræ solvendæ sunt. Ergo tardari in solutione non potest, & expectari, donec petantur, quia minus solvit, qui tardius solvit. l. si cui. ff. de V. S. & l. fin. C. de plus petis. 2. Decimarum solutio est quædam oblatio Deo facta, ut patet Exodi 22. at offerre significat ultrò dare, etsi non petatur. Hinc ibidem dicitur: *decimas & primitias non tardabis reddere.* 3. Quivis, quòd certo tempore debet, solvere tenetur etiam non postulatus, cum dies interpellet pro homine c. ult. de locat. l. 3. C. de fur. Emph.



*Emph. & l. magnam C. de contr. & committ. stipul.* maxime si res, quæ debetur, est aliena, vel onus reale annexum habet, quale habent fructus collecti.

540 Neque obstat auctoritas S. Thomæ, aliorumque. Nam, ut bene ostendunt Covarr. *l. c. n. 12.* Suar. *cit. n. 2.* & Moneta *c. 6. q. 4. n. 23.* (quidquid dicat Thom. Hurtado *tom. 2. var. tr. 8. c. 1. resol. 9.*) loquuntur solum de casu, quo vel censetur Ecclesia obligationem remittere, dum eas non petit; vel quo consuetudo fert, ut non solvantur nisi petita; vel quod non incurratur excommunicatio aliave poena humana ob eas non solutas, si non fuerunt petita. Quo modo intelligendum quoque est *cit. c. 3. h. 2.* quia ibi solum dicitur, eos, qui non solvunt, monendos esse, & si opus fuerit, sub excommunicatione compellendos. Ex quo solum sequitur, ob non solutas neminem excommunicandum, nisi monitionem prius factam contempserit. Pariter non obstat exemplum Pauli alimenta à fidelibus non accipientis: nam ultrò ea remisit, & haud dubie oblata recusavit, ut ab omni quæstus suspicione alienus tantò liberius prædicaret Christum Crucifixum.

541 Difficilior quæstio esse videtur, an si decimæ hoc anno solutæ non fuerunt, sequenti anno repeti, sicque duplices peti possint. Negat Ant. Faber *l. c.* sicque in Senatu

Sabaud. decisum refert. Idem tradunt Balbus *de Præscript. p. 1. p. 5. prin. q. 7. n. 12.* Paris. *vol. 1. consil. 15. n. 26.* Bern. van Espen *p. 2. Jur. Eccl. tit. 33. c. 10. n. 25.* & Mich. du Perray *tr. de Port. congrua p. 2. c. 30. n. 38.* ubi inter regulas circa decimarum materiam in Gallijs receptas hanc refert, quod decimæ annorum præteritorum non petantur. Rationem dant: quia censentur remissa, si suo tempore non fuerunt postulata.

Assert. II. Decimæ non solutæ 542 tempore, quo solvendæ erant, postea exigi possunt & solvi debent, tametsi suo tempore postulata non fuerint. Assertio certa est seclusa contrariâ consuetudine, & gratuita remissione. & sequitur ex dictis *n. 539.* si enim solvendæ sunt etiam non petita, per omissionem petitionis non liberatur debitor: poterit igitur postea conveniri. Accedit, quod alia quoque debita & pensiones præteriti temporis solvendæ sunt, nisi remissio intervenerit, præscriptio &c. nec ullibi de decimis contrarium statutum est: neque præsumi potest gratuita earum remissio & condonatio ex eo, quod tempore ordinario petita non fuerint, cum frequens sit eas non peti propter oblivionem, ignorantiam, vel absentiam decimatoris, aut fraudem vel negligentiam officialium ac Ministrorum, quorum erat, eas exigere. Unde contrariam opinionem

li 2 Covarr.

Covarr. *l. c.* meritò dicit, nec Jure veram esse, nec ex Archidiacon. & sequacibus, qui pro ea citantur, commodè deduci posse: practicè improbabilem, & planè temerariam assertionem, ac gravem errorem esse pronuntiat Suar. *c. 38. n. 1.* Illud ultro fatemur, quod cum S. Thoma, Panor. ac communi DD. tradunt Salon, *disp. de Tribut. & vectig. art. 2.* & Azor. *p. 1. Instit. mor. l. 7.*

*c. 24. g. 17.* non dari obligationem solvendi, ubi consuetudo vigeat, ut non solvantur nisi petita, aut ut præteriti temporis decimæ non solvantur, nisi tempore consueto, quo solvendæ fuerant, fuerint postulatæ. Et hac consuetudine dicendum est nisi illa senatus consultata, quæ referunt Anton. Faber & Perray *l. c.* & sic suam opinionem explicat tandem Balbus *l. c. in fine.*

## Q U Æ S T I O II.

*An Decimator propria auctoritate Decimas auferre possit?*

### S U M M A R I U M.

§ 43. § 44. *Propria auctoritate privatus decimator decimas nondum separatas auferre nequit.*

§ 43 **C**um decimæ, ut modò dixi, debeantur etiam non petita, consequens quæstio est, an si ultro vel petita non solvantur, decimator propria auctoritate, aut omnino negantibus aut solvere differentibus eas auferre possit. Opinionem, quòd propria tunc auctoritate auferri possint, Speculatori *tit. de decim. v. ultimò queritur.* tribuere videtur Moneta *c. 6. g. 4. n. 25.* sed nihil vel ille vel alius simile vel asserit vel indicat.

§ 44 **A**ssert. I. Parochus aliùsve decimator, qui jurisdictionem temporalem in debitores decimarum non habet, non potest propria au-

§ 45. *Nec denegatione Sacramentorum debitores ad solvendum compellere.*

§ 45 **A**uctoritate eas auferre. Ita omnes, estque assertio certa, ut ait Suar. *c. 36. n. 9.* Ratio patet: quia subditus est dominus & legitimus possessor omnium fructuum, antequam aliqui eorum pro decimis separentur, ergo non potest propria auctoritate decimatoris possessione privari, etiam si illorum sit debitor: cum constet, creditoris licitum non esse, propria auctoritate bona possessoris invadere, eumque ad debitum obtinendum spoliare. *c. 5. 6. & 7. ac toto tit. de restit. spol.* Accedit, quòd hæc vis foret contra pacem Reipublicæ, possétque esse origo multarum injuriarum ac scandalorum. **A**ssert. II.

145 Assert. II. Non est licitum Parocho per denegationem Sacramentorum ad solvendas decimas compellere non solventes. Ita Navarr. *consil.* 2. *b. t.* Suar. *c.* 38. *n.* 2. ac reliquorum communis. Patet ex dictis: quia hoc foret propria auctoritate debitorem ad solven-

dum cogere. Si tamen manifesta esset iniquitas solvere renuentis, neganda certè ipsi forent Sacramenta; non quidem ex hoc capite, ut ipse compellatur ad solvendum, sed sicut alijs peccatoribus ad ad ea recipienda non dispositis.

### QUESTIO III.

Utrum fructus decimandi sint in agris, an in horreis?

#### SUMMARIUM.

546. Varij modi solvendi decimas proponuntur.

547. Jure communi colonus in agro eas separare potest.

548. Jure Bavarico in arbitrio

decimatoris est, in agro vel horreo exigere.

549. Consuetudo circa modum solvendi observanda est.

550. Nec obstant Statuta Bavarica.

146 Diversis rationibus solvi possunt decimæ. 1. In manipulis in agro separatis ac relictis. 2. In manipulis in horreo jam reconditis. 3. In frumentis à stramine jam separatis, seu in granis. 4. In segete & fructibus adhuc pendentibus, in decima quavis stria agri seu porca ac scamno relictis messi decimatoris. Postremum istum decimandi modum, seclusà consuetudine, præscriptione, aut pacto vel consensu decimatoris, illicitum esse, jam dixi *n.* 532. at è contrario non dubito, eum exigì à decimatore posse, si reliquos fortè modos fraudis suspectos meritò habeat, aut possessor agri falcem in messem

nondum maturam mittat: quod ultimum si fiat sive ex imprudentia sive ex indigentia & necessitate coloni, decimator jure petere potest, ut ille fructus relictos suis sumptibus metat, aut alios maturos ejusdem sortis suo tempore restituat, uti sumitur ex *Statut. Bavar. tit. 28. art. 9.* quamquam in c. su indigentia coloni austerè non erit agendum, sed modicum decimatori damnum sufferendum.

Assert. I. Spectato Jure comu. 547 ni potest debitor decimarum in agro eas separare. Ita Suar. *c.* 37. *n.* 6. Canif. *c.* 7. *n.* 2. Laym. *c.* 5. *n.* 2. ac passim alij. Ratio patet: quia sic satisfacit suæ obligationi, quæ

¶ 3

tan-

tantum exigit, ut decimæ solvan-  
tur; has autem solvit, si etiam in ag-  
ro eas separat, cum ad solvendum  
nullus Canon plus requirat. Acce-  
dit, quod hæc solvendi ratio minus  
obnoxia sit fraudibus debitorum,  
quam illa, quæ fit ex fructibus in  
horrea colonorum jam comporta-  
tis, ut bene explicat Illustriss. D.  
Schmid *ad Statut. Bavar. tit. 28.*  
*art. 4. n. 1. & semicent. 2. 99. for.*  
*contr. 32. n. 3.* Unde hæc solvendi  
ratio in nostris partibus passim usu  
recepta est. Quamvis illa, quæ fit  
in horreis, è contrario non modi-  
cum commodum decimatori affe-  
rat, cum tunc non teneatur viâ  
longâ suis plaustris & equis eas ex  
agris advehere, nec periculum ea-  
rum subeat ex tempestatum, mu-  
rium, ac furum injurijs, ut idem ob-  
servat *cit. contr. 32. n. 2.*

148 Affert. II. Spectato Jure nostro  
patrio *Stat. Bavar. tit. 28. art. 1.*  
in potestate decimatoris est deci-  
mas aut in agris aut in horreis exi-  
gere. Sic enim ibi dicitur: Es soll  
auch in eines jeden Zehendt Herrn  
freyen Wahl und Willen stehen/ sei-  
nen Zehendt auf dem Feld/ in dem  
Stadel/ oder da er sich mit den Bau-  
ren deshalb vergleichen wolte/ in  
dem Sack an Körner zupfangen/ des-  
sen ihme auch der Zehendt Mann/  
unangesehen/ ob ein anders bey den-  
selben zuvor im Brauch gewesen/  
statt zuthun/ und darumben den Ze-  
hendt Herrn/ ob er die Zehendt Fân-  
gung auf dem Feldt thun wolt/ den

Tag seines vorhabenden Schindts  
zeitlich zuverfündigen schuldig seyn  
soll. Ad quem textum Illustriss. D.  
Schmid *n. 8.* existimat, in arbitrio  
decimatoris esse etiam tertium  
modum decimandi eligere, & exi-  
gere decimas in granis, nimirum  
decimum quemque cabum seu  
modiolum den Zehenden Mehen.  
Mihi salvo ipsius aliorumque me-  
liori iudicio, videntur illa verba, da  
er sich mit den Bauern deshalb  
vergleichen wolte/ sic intelligi posse,  
ut tunc demum decimator deci-  
mas in granis exigere possit, si ita  
inter ipsum & colonum convenit,  
videlicet ut illæ potiùs in granis  
quàm manipulis solvantur. Pos-  
sunt tamen commodè etiam sic ex-  
poni, ut sensus sit, absolute quidem  
posse decimas in granis exigi, ita  
tamen ut conventio fiat inter cre-  
ditorem & debitorem circa expen-  
sas triturae, an videlicet harum  
quota & rata pars à decimatore  
solvenda sit, & straminis simul deci-  
mæ eidem solvantur; an verò om-  
nes illi sumptus à solo colono fa-  
ciendi sint retento in earum com-  
pensationem stramine, vel minus  
solvendo quàm decimum cabum.  
Porro gratis hic à nonnullis dispu-  
tatur, utrum, si decimæ alicubi in  
granis solvantur, mensurâ, quâ de-  
cima pars admetiendâ est, debeat  
esse exaggerata, an deterfa ad lim-  
bum & æquata per hostorium dicitur  
das Streich-Holz; clarum enim est,  
ad servandam æqualitatem & ne  
unus

unus plus accipiat, vel retineat, quam alter, modum mensurandi utrimque debere esse eundem in metiendis novem partibus, quæ remanent colono, & decimâ, quæ cedit decimatori. Ut autem unus potius, quam alter modus adhibeatur, seclusâ consuetudine aut præscriptione nec creditor nec debitor exigere potest, sed adhibendus est, qui in mensurandis frugibus, dum venduntur aut pro canone solvuntur, adhiberi solet.

149 Assert. III. Si consuetudine legitime præscriptâ aliquis ex prædictis decimandi modis inductus est, observari debet. Ita post Hostiens. Aufrer. Paris. ac alios Rebuff. q. 13. n. 49. & 50. Suar. c. 37. n. 7. ac passim alij. Ratio patet à fortiori ex dictis supra de vi, quam consuetudo habet ad tollendam obligationem decimarum: si enim immunitatem à decimis dare potest, poterit à fortiori variare modum, quo illæ aliâ vi Juris solvendæ forent; maxime si certus solvendi modus à Jure statutus non fuit, uti re vera nullus statutus est. Limitationem tamen hîc addi oportet, quam dedi n. 336. in fine. Idem cum proportione dicendum est de præscriptione; nam non tantum Ecclesia contra debitorem colonum præscribere potest, ut hic isto potius, quam alio modo decimas solvat; sed ipse quoque præscribere contra Ecclesiam potest,

ut non teneatur solvere, nisi hoc vel illo certo modo. Ita eum Panor. aliisque Covarr. l. c. Cravetta consil. 21. Guttier. can. qq. l. 2. c. 21. à n. 45. ac alij, qui quamvis expresse solum loquantur de consuetudine, est tamen par ratio de præscriptione: non enim hîc agitur de præscribendo aliquo jure spirituali, ut patet; neque præscribitur alicui juri Ecclesiæ, cum hæc, ut dixi, & ulterius q. seq. dicetur, seclusâ consuetudine & præscriptione non habeat jus, decimas uno potius quam alio modo exigendi. Hinc cum Illustriss. D. Schmid. cit. contr. 32. n. 10. & ij. cenfeo, sufficere colono tempus ordinarium præscriptionis, illud videlicet, quod ad præscribendum contra Ecclesiam requiritur & sufficit, quando præscribenti jus non resistit; & vicissim Ecclesiæ præscribenti contra colonos sufficere tempus ordinarium, quo contra laicos præscribitur. Non tamen ad præscribendum sufficit, eum, contra quem præscribitur, huic vel illi solvendi modo sponte solum acquiescisse, seu liberè duntaxat permisisse, ut ille observaretur; sed necesse est, ut non obstante ejus contradicitione observatus ille fuerit; cum ex actibus merè voluntarijs quasi possessio acquiri non possit, ut ex l. Proculus ff. de dam. infect. l. 1. §. denique l. si in fundo ff. de aq. plurv. arc. & l. 2. ff. de via publ. fusè præ-

ter

ter alios tradunt Covarr. *in reg. Possessor p. 2. §. 4. n. 6.* & Manz. *cent. decis. Palat. 9. 49.*

550 *lis, quæ modò dixi, ob stare videtur Jus Patrium cit. tit. 28. art. 1. postquam enim dictum fuerat, esse in arbitrio decimatoris decimas aut in agris aut in horreis exigere, additur, unangesehen/ ob ein anders bey demselben (Zehendt-Mann oder Bauren) zuvor im Brauch gewesen. Videtur igitur contraria consuetudo & præscriptio excludi, eaque non obstante integrum esse decimatori, hoc potius quàm alio mo-*

do decimas exigere. Verùm respondeo cum eodè Illustriss. Commentatore *cit. contr. 32. n. 6. & seqq.* non ibi rejici præscriptionem legitimè completam, aut consuetudinem legitimè præscriptam; sed solum illam, quæ vires ex diuturnitate temporis aliisque requisitis nondum obtinuit, & tantum consistit in nuda quadam observantia jus parti non tribuente, eò quòd hic vel ille certus modus observatus fuerit ex sola alterius partis conventia ac voluntaria permissione.

## QUÆSTIO IV.

*Utrum Decimæ inferendæ sint in horreum vel cellam  
Decimatoris?*

### SUMMARIUM.

551. *Opinio asserentium.*

552. *Contrarium statuitur.*

553. 554. 555. *Solvuntur opposita.*

556. *Inferendæ sunt horreo decimatoris, si ita fert consuetudo.*

557. *Sine consensu decimatoris non potest colonus fructus nondum decimatos suo horreo recondere.*

551 **D**iversa hæc quæstio est ab ea, quam modò examinavi. Ibi enim quærebatur, liberumne sit Decimatori, in horreis colonorum, an in agris decimas petere: hîc verò, an si agris numerentur, sumptibus solventium in ejus horrea vel cellas inferendæ sint; aut si decimator eas percipiat in horreis debito-

rum, horum duntaxat sumptibus illuc portandæ sint. Inferendas esse decimatoris horreo sumptibus debitorum illimitatè tradunt Glossa in *can. Revertimini 65. 16. 9. 1. 7. In horrea, & in can. 1. 16. 9. 7. 7. In horreum.* Panor. in *c. 5. h. 1. re-ferens Joan. Andr. ac alios, dicensque esse communem, Nicol. Everhard.*

hard. Sen. *consil.* 183. n. 6. And. Hispan. *h.t.* q. 14. n. 5. Carpz. *l. 1. Fur.* Saxon. *tit.* 9. *resp.* 92. n. 11. Hunn. *l. 2. Fur. can.* c. 6. n. 30. multique alij. Limitant Covarr. *l. c.* Guttier. *cit.* c. 21. n. 48. Moneta c. 6. q. 1. n. 1. ajuntque, comportandas esse in horrea decimatorum, ubi id fieri potest sine magno sumptu & labore debitorum. Ducuntur 1. quia juxta *cit. can.* 65. & *can.* 1. olim inferenda erant decimæ in horreum Domini, juxta illud Malachix c. 3. *inserte omnem decimam in horreum, & sit tibus in domo mea.* 2. debitor tenetur deferre rem ad domum creditoris, præsertim si sit de eadem civitate. Bartol. *in l. Item illa. ff. de constit. pecun.* n. 14. & *l. 4. ff. de eo, quod cert. loc.* 3. decimator assimilatur percipienti annum canonem ab emphyteuta: at hic juxta Jason. tenetur suis sumptibus afferre canonem ad ædes domini.

552 Assert. I. Qui debet decimas, de Jure scripto non tenetur suis sumptibus ad eas horreo decimatoris inferendas, sed satisfacit, si eas in campo separet. Ita post Abulenf. *in c.* 23. *Matth.* q. 206. Adrianum *quodlib.* 5. *art.* 1. §. 2. & Glossam *in c. 7. h. t. v. fructibus*, Suar. *c.* 37. n. 7. & apud hunc Rota Rom. Laym. *c.* 5. n. 2. Palao *tr.* 10. *disp. un. pun.* 8. n. 5. Wagnereck *ad c.* 7. *h. t. v. statim not.* 2. Schambogen *h. t.* n. 46. cum Bonacina ac alijs. Ratio ex una parte est: quia Jura nullibi hanc ob-

ligationem debitori decimarum imponunt; imò quando mentionem faciunt de decima non deductis expensis solvenda, solum afferunt, non esse deducendum semen, tributa, & sumptus in colendo fundo, ut diximus supra n. 532. non utique omisura sumptus in invehendis in horrea Parochi decimis, si etiam istos facere colonus teneatur: ex altera parte solum præcipiunt, ut decimæ ex fructibus solvantur; atqui solvit, qui eas in agris separat & decimatori relinquit. Accedit, quòd Ecclesia quoad decimas est instar fructuarij & pensionarij, uti cum alijs notant Laym. & Schambogen *l. c.* huic autem satisfit, si fructus solvantur ibi, ubi res frugifera sita est. Hinc nulla est distinctio facienda inter sumptus modicos & magnos, & inter horrea publica Ecclesiæ ac privata, ut faciunt Covarr. & Guttier. *l. c.* quia de nullo horum casuum aliquid Jura præcipiunt.

Ad *can.* 65. 16. q. 1. & *can.* 1. q. 7. 553  
 3. ibi nihil aliud dici, quàm quod Malachix c. 3. hic autem nihil, nisi quod *Numer.* c. 18. v. 26. & 29. ac *Deuter.* c. 14. v. 22. præcipitur; at nihil ibi præcipitur de inferendis in horrea Levitarum ac Sacerdotum decimis, ut patebit legenti tam ipsos Scripturæ textus, quàm commentatores. Quin si præceptum inferendi datum fuisset Judæis, non sequeretur, illo ligari christianos, cum fuerit ceremoniale, ac

ut alia ceremonialia & judicialia, cum synagogo sepultum, nec ulli ab Ecclesia renovatum.

554 Quod secundo loco afferebatur de obligatione debitoris rem deferendi ad domum creditoris, universale non est, sed pro varietate contractus & debiti modò datur hæc obligatio deferendi, modò non, uti patet ex ijs, quæ tradunt Gabr. Vasq. *de Restitut. c. 9. dub. 2. m. 50.* Rebell. *l. 12. de Inst. q. 13. sect. 2. concl. 2.* Laym. *l. 3. tr. 2. c. 10. m. 5.* Molina *tr. 2. de Just. disp. 7 52. concl. 2.* Less. *l. 2. c. 15. n. 56.* qui, aliique conveniunt, census reales (quos inter numerantur decimæ) secluso speciali pacto aut præscriptione, non esse solvendos in loco, ubi est creditor, sed ubi census est constitutus, aut ubi res sita est, in qua obligatio est constituta, ut domus, ager &c. census verò personales ibi, ubi iustâ pactione constituti sunt; debita denique ex mutuo, empto &c. ubi pecunia vel merx accepta fuerat. Hinc mirum non est, debitam pecuniam ordinariè deferendam esse ad domum creditoris, quia ibi ordinariè mutua pecunia, aut merx sumitur, vel census constituitur. Quæ ratio, ut patet, non procedit in decimis, sed harum obligatio inhæret immediatè fructibus ac mediatè agris; unde illi satisfi, si fiat solutio in agris, ubi fructus colliguntur.

555 Ad paritatem de Canone Emphyteutico &c. idcirco emphyteu-

tam obligari ad illum horreo domini inferendum, quia cum sæpe eanon sit modicus, parum comodi dominus haberet, si suis sumptibus illum ex agris sæpe multum distitis & diversorum emphyteutarum colligere teneretur, petiturque propterea minor canon, quia onus deferendi emphyteuta imponitur. Quæ rationes, uti patet, non procedunt de decimis.

Assert. II. Valet consuetudo, 556 estque observanda, sicubi datur, ut debitores decimas horreo decimatoris inferant. Ita post Panor. omnes. Ratio patet ex dictis à n. 260. Sufficere ad hanc consuetudinem inducendam decennium, rectè tradunt Suar. *l. 8. Palao cit. n. 5.* Less. *l. 2. c. 6. n. 46.* cum Boaac. ac alijs: quia hoc tempus ad stabilendam legem de re, quæ legibus non est prohibita, sufficit.

Assert. III. Non potest debitor 557 decimarum fructus indecimos horreo inferre, ignaro & non consentiente decimatore. Ita recepta à Doctoribus & praxi sententia, teste Suar. *l. c. n. 7.* sequiturque cum ex eo, quòd ab omnibus debet approbari, quod omnes tangit *reg. 26. in 6.* tum ex ipso jure decimandi, cum ad debitum ejus usum & securitatem spectet, ut collecti fructus non recondantur absque interventu decimatoris, utpote cui alias sæpe fraus fieret, & damnum. Si monitus nec per se nec per procuratorem decimationi assistat, fieri hæc



hæc potest ipso absente, & fructus decimati in agris relinquere, qui si postea vel coeli vel ferarum aut hominum injurijs damnum patiantur, id ipsi ferendum erit: nisi consuetudine alicubi receptum sit, ut in horreo colonorum decimantur, vel in granis solvantur, vel horreo decimatoris inferantur. Neque si in agris solvantur decimæ, colonus, postquam sua avexit, ad illarum custodiam tenetur, uti traditur in Statut. Bavar. tit. 28. art. 5. auf dem Feld ist der Zehendt Mann dem Zehendt Herrn sein Zehendt länger zuverwahren nit schuldig / dann so lang er sein eigen Traid einbringt. Nisi forte alicubi consuetudo ferat, ut colonus decimas etiam in agris separatas inferat horreo decimatoris: tunc enim obligatus videtur ad earum custodiam, donec horreo vel cellæ decimatoris illatæ fuerint. Additur cit.

art. 5. animalia ad pastum agris immittenda non esse, donec decimæ fuerint avectæ: dummodo decimator in avehendis moram non trahat. Nec in agris, ex quibus avectæ nondum fuere frumenta, spicilegium pauperibus concedendum esse. Doch soll man das Vieh nicht auf die Aecker treiben / bis daß der Zehendt eingebracht ist / er seye gleich an Garben / oder stehe noch auf der Wurzel / wie man dann an etlichen Orthen solchen stehen laßt / doch daß der Zehendt Herr nicht säumig seye. Man soll auch auf den Aeckeren nicht äheren / es seye dann zuvor das Getraid derselben Revier und Felds allbereit einkommen / id est, antequam decimæ avectæ fuerint. ut ibi n. 2. explicat Illust. D. Schmid. Quæ sapienter provisæ sunt, ne, quod aliàs fieri solet, vel rostris brutorum, vel manibus hominum præda fiant decimæ.

## QUÆSTIO V.

Quomodo numeratio manipulorum ac mensurarum  
facienda sit?

### SUMMARIUM.

558. Status questionis proponitur.

559. Resolvitur ex Jure Bavarico.

560. Non potest decimator tantum exigere uno anno, quantum alio.

561. Nec anno sequenti continua-

re numerationem à manipulis residuis prioris anni.

562. Eam tamen continuare potest eodem anno ab uno agno in alium.

563. Et ab una specie frumenti ad aliam parum diversam.

KK 2 Quam.

558 **Q**uamvis certum sit, decimam quamque partem ex fructibus debere Ecclesiae, nimirum decimum manipulum frumenti, aut decimum modium ex granis, decimam mensuram pomorum, decimum agnum ex foetibus pecorum &c. controversum tamen est, quomodo hæc numeratio facienda sit: cum enim post decimatos fructus sæpe residui sint 8 tantum aut 9. manipuli, dubitari potest, an non sequenti anno dinumeratio continuari possit, & primus hujus anni manipulus vel agnus à decimatore exigi tanquam decimus ex ijs novem, qui priore anno erant residui, & decimati non fuerant: an verò ex novem, qui residui duntaxat sunt, peti jam nunc aliquid possit, vel decimus ex alijs fructibus suppleri debeat. Cujus controversiæ decisio clarissima æquè ac æquissima habetur in Statut. Bavar. tit. 28. art. 3. quæ quia conformis est Juri communi, & idcirco ubique, nisi contraria consuetudo prævaluerit, observanda, idcirco eam integram, sed numeris distinctam, loco assertionis ponam.

559 Sic igitur *cit. art. 3.* disponitur. Kein Zehendt: Herr ist (1.) besuegt von dem Zehendt: Mann so vil Zehendt: Garben zusefordern / als er etwan das vorig Jahr im Aufzehlen gehabt hat / noch auch (2.) da etwan verschienes Jahr 5. 6. oder mehr Garben under Zehen über geblieben / daß man im folgenden Jahr auf dieselbis

ge zehlen wolt. Sondern ein jeder Zehendt: Herr soll sich an dem Zehendt: benügen lassen / was ihm jedes Jahr gebührt / und was (3.) die Zehendt: Garb / nach völliger Aufzehlung nicht erzaicht / von demselben nichts nehmen / doch mag er (4.) von einem Acker auf einen anderen demselben Zehendt: Mann gehörigen Acker und (5.) von einer Sorten härten auf ein andere Sort härten / also von einer Sorten geringen auf ein andere Sort geringen Traidt / doch im selbigem Jahr / wol zehlen. Id est. nullus decimator (1.) Jus habet à colono exigendi tot manipulos, quot forsitan priore anno collegit. Nec (2.) si forsitan priore anno 5. 6. aut plures infra decem remanserant, illi sequente anno in numerum & decimationem veniant, sed quisvis decimator illis decimis contentus sit, quæ pro hoc anno debentur, & quod (3.) post numerationem decimum manipulum non attingit, de illo nihil accipiat. Poterit tamen (4.) numeratio manipulorum fieri ab uno agro ad alium ejusdem coloni, & (5.) ab una specie ad aliam frumenti solidi & ab una levis ad aliam levis, eodem tamen anno. Per solidum frumentum notum est intelligi hyemale, nimirum Triticum seu Siliginem der Weizen / Secale der Roesen / Zeam, seu speltam der Fesen / der Kern; per leve verò intelligi æstivum, seu Hordeum die Gerste / & Avenam der Haber. Non igno-

ignoro, ultima hujus articuli verba ab Illustriss. D. Schmid accipi solum de ejusdem speciei frumento, quasi dinumeratio manipulorum fieri tantum possit à tritico ad triticum, ab avena ad avenam; non verò à tritico ad secale, aut ab hordeo ad avenam &c. Sed cum textus apertè dicat ab una sorte ad aliam sortem (speciem oder Gatfung) fieri numerationem posse, non apparet, quo jure dicat, subintelligendum esse *Ejusdem sortis*, seu à tritico tantum ad triticum, ab hordeo tantum ad hordeum &c. Hac enim ratione non esset licitum ab una sorte ad aliam (quod tamen textus concedit) numerare. Accedit, quòd cum tertio loco dictum fuisset, non posse hoc anno numerationem fieri à residuis prioris anni manipulis, illos videlicet tanquam nondum decimatos computando, ut cum alijs hujus anni manipulis decimum numerum efficiant: hoc, inquam, ubi statutum fuit, mox in favorem decimatoris tanquam singulariter notandum additur, posse ipsum nihilominus, & non obstante, quòd de residuis prioris anni manipulis nihil prætere valeat, manipulos numerare ab uno ejusdem coloni agro ad alium, & ab una sorte seu specie frumenti solidi ad aliam &c. Quod frustra fuisset additum, si numeratio fieri posset tantum à tritico ad triticum, seu ab una specie ad eandem:

cum per se clarum sit, si numeratio facienda sit, hoc saltem modo fieri posse ac debere. Unde speciali id notà ac observatione dignum non erat. Explicationi, quam dedi, audio praxim favere. Ad id, quod idem Illustr. D. Schmid ait, præjudicium coloni fore, si decimatori licitum esset, numerare ab avena v. g. ad hordeum, responderetur, nullum præjudicium esse, si de omnibus frugibus, quas colligit, decimasolvere cogatur; non autem de omnibus solveret, si non esset concessum decimatori numerare ab avena v. g. ad hordeum, quia hac ratione pars aliqua avenæ indecimatam maneret, & præjudicium decimatori fieret, si nihil inde nomine decimarum perciperet. Neque obest, quòd aliquando continget transitum fieri à frumento viliori ad melius, v. g. à secali ad triticum: nam è contrario quandoque transeundum erit decimatori à meliore ad vilius, à tritico videlicet ad secale, vel ab hordeo ad avenam. Ut adeò par sit ratio coloni & decimatoris, nec unus magis gravetur altero. Illud verò in Bavaria tolerandum non est (nisi aliud consuetudine allicubi receptum sit) quod facere dicuntur quidam collectores decimarum (Zehendt-Träger) dum ex quinque v. g. residuis manipulis quintum solvunt & dividunt inter decimatorem & colonum. Hoc enim apertè repugnat Statuto mo-

dò allato. Hujus nunc æquitas ostendenda est, redditâ singulorum ejus capitum ratione. Itaque

§60 Ratio primæ partis est: quia decimæ debentur ex fructibus quovis anno provenientibus, & sicut nihil debetur, si nihil provenit, ita juxta proportionem & quantitatem illius, quod provenit, aut multum aut parum debetur. Unde iniquè ageret decimator, si hoc anno, quo fortè parum provenit, tantundem exigeret, quantum percepit priore: nisi fortè inter ipsum & debitorem speciali pacto convenit, ut singulis annis certa eaque mediocris portio & quantitas solvatur, non minuenda, si modici; nec augenda, si magni proventus sint fructuum. Tale enim pactum valere ad vitam vel certos annos Parochi, si propriâ auctoritate initum est; in perpetuum verò, si Superioris Ecclesiastici auctoritas accessit, constat ex dictis suprâ, quando de transactione super decimis, & earum locatione egi à n. 308. & n. 493.

§61 Ratio secundæ & tertix partis est: quia debetur solùm decima pars fructuum, ergo ubi manipulorum numerus ad denarium non ascendit, nihil inde debetur. Et quamvis 8. aut 9. manipuli minores fieri, & decem inde confici possent, hæc tamen tam rigida rerum minimarum exactio non decet Ecclesiam, ne Clerici videantur improbi exactores, & ne ditentur

cum gravi jactura aliorum, ut cum Hostiensis loquitur Panor. in c. 28. h. t. ac indicat S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 2. ad 2. Quam ipsam ob causam non decet, ut ad 9. manipulos hoc anno residuos sequenti anno continuetur dinumeratio, & primus manipulus à decimatore exigatur tanquam decimus ad illos novem, qui priore anno residui fuerant.

Ratio quartæ partis est: quia cum fidelis homo de omnibus fructibus decimas debeat, illi non separatim, prout ex singulis agris proveniunt, sed secundum totum cumulum considerandi sunt, & sic dinumeratio decimarum ab uno agro in alium continuanda est, sicut ex toto cumulo solvuntur, quando fructus decimantur in horreo: aliàs decimæ non solverentur ex omnibus fructibus, sed plus quam novem partes colono remanerent.

Denique æquitati conforme est, ut licet dinumeratio fiat ab agro in agrum, non tamen fiat ab una specie frugum ad aliam multum diversam, v. g. à tritico ad avenam; sed solùm ad eandem vel parum diversam, nim. à tritico seu siligine ad secale & speltam, & ab hordeo ad avenam. Quia onus decimandi est distinctum, uti species fructuum distinctæ sunt, ita ut ab una specie ad alteram non transeat: aliàs non apparet, quomodo non etiam à frumento ad reliqua legumina, v. g. fabas

fabas ac cicera, imò ab his ad poma arborum, rapas &c. dinumeratio continuari possit: quod est praxi Ecclesie contrarium, & à nemine hætenus admissum.

## QUÆSTIO VI.

*An Decime pecunijs compensari possint?*

### SUMMARIUM.

564. Pecunias pro fructibus solve-  
re pro arbitrio non potest colo-  
nus, nec decimator exigere.  
565. Tametsi vi contractus ha-

Etenu pecunia tantum soluta  
sunt.

566. Potest consuetudine ac præ-  
scriptione induci, ut pecunia  
tantum debeantur.

564. **Q**uæstio non est, utrum pro arbitrio debitorum loco fructuum in natura, ut vocant, pecuniz dari, vel à decimatore exigi possint: constat enim ex hætenus adductis Juribus solvendam esse decimam fructuum partem; obligari autem ad dandam partem fructuum aliud non est, quàm obligari ad ipsos fructus. Non igitur satisfaciet debitor eorum pretium solvens, nisi decimator ultrò acceptet: cum obligatio in specie implenda sit, si est obligatio dandi & non præcisè faciendi seu ad factum, uti patet ex l. 7 §. fin. & l. 81. ff. de v. o. l. 13. ff. de re judic. l. 2 §. 1. ff. de reb. cred. si cert. per. §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig. Accedit, quòd sicut regulariter loquendo nemo cogi potest ad rem suam vendendam, ita nec ad commutandam. l. 9. ff. de act. rer. amot. l. 11. 13. &

14. ff. de contrah. empt. l. 16. C. de Jure deliber. Eandem ob causam decimator loco fructuum pecuniam exigere nequit, cum debitor ad illos tantum dandos teneatur. Igitur dubium duntaxat est, an detur obligatio solum ad pretium fructuum, si hoc solutum fuit diuturno tempore, & non ipsi fructus. Ratio dubitandi est: quia magna vis est consuetudinis quoad solutionem decimarum, ita ut per eam omnino tolli possit obligatio solvendi, ut dixi à n. 260. à fortiori variari per eam poterit modus solvendi. Magna pariter vis est præscriptionis, ita ut contra Ecclesiam & Clericum alia Ecclesia & Clericus præscribere decimas possit, ut patet ex dictis à n. 291. ac contra laicum decimatorem etiam laicus, juxta dicta n. 486. Videtur igitur, quòd si tempore saltem longissimo decimæ

decimæ non in natura, sed in æquivalenti seu in pretio & pecunijs solutz sunt, decimator eas exigere amplius non possit in natura.

565 *Affert. I.* Si constat, quod pretium loco decimarum alicubi solvi cœperit vi contractus, quo videlicet decimator debitoribus eas vendidit aut locavit, remanet decimatori semper jus eas exigendi in natura, post finitum tempus contractus: neque post qualecunque tempus prætere de debitores possunt, ut decimator loco fructuum pretium accipiat. Ita æquissimè deciditur in Statut. Bavar. tit. 28. art. 8. *Wie der Zehendt: Herz mit seinem gebührenden Zehendt handelt / denselben an Röner oder Gestreu / auf dem Feld oder sonsten verkaufft / verläßt / oder selbs einfänget / darein soll ihme der / so den Zehendt zugeben schuldig ist / nichts zu reden / noch daran einige Verhinderung zuthun haben / uneracht er fürgebe / daß man ihm vil Jahr das Gestreu gelassen / und den Zehendt verkaufft hätte / dann hierinn kein Gewehr schaff / oder Verjährung / wie alt die sene / soll statt haben. Ratio clara est: quia vendere vel locare rem suam est actus liberæ facultatis, & sicut nemo ad id cogi potest, nisi auctoritate publica, & necessariam ob causam, ut patet ex cit. Juribus n. *prac.* ita nulla consuetudo vel præscriptio quantumvis diuturna hic prævalere potest libertati deci-*

matoris: non quidem præscriptio, cum ex parte conductoris aut emptoris desit bona fides & quasi possessio, ut patet; quia quamdiu unus liberè locat aut vendit, emptor aut conductor non potest esse in quasi possessione juris, ut fiat venditio aut locatio, ac propterea nec est in bona fide, dum hoc jus præterdit, ut dixi n. 549. Sed neque consuetudo hic locum habet: alias si longo tempore locatio aut venditio facta est, conductores & emptores prætere de jus possent, ut illa etiam in posterum ipsis fiat; quod nemo admiserit, cum sicut præscriptio, ita etiam consuetudo actus voluntarios reddere non possit necessarios, quando constat, priores venditiones aut locationes voluntariè ac ultroneè esse factas, ut dixi cit. n. 549. in fine. Afferunt quidem Balbus de *Præscript.* 3. p. 5. *prin. q. 1. n. 5.* aliique nonnulli apud Gabrielium tit. de *Præscript. concl.* 10. n. 7. etiam in ijs, quæ sunt meræ facultatis, ex longæva temporis immemorialis observantia consuetudinem vel præscriptionem induci: verum intelligendi duntaxat sunt de casu, quando ex lapsu temporis immemorialis præsumi potest, quod actus, qui per se sunt meræ facultatis, positi fuerint tanquam necessarij & ex debito; aut quando dubium saltem est, ultroneè, an verò velut debiti positi fuerint: plus enim si vellent illi DD. cõ-

tradi-

tradicerent cum legi *Viam publicam*, ff. de *Via publica*, tum alijs *Juribus cit. n. 549.* allegatis.

566 Assert. II. Si non constat, decimas esse locatas aut venditas, aut quando de hoc quidem constat, at diu pretium solutum est decimatori acquiescenti & illud acceptanti à colonis renuentibus eas solve-  
re in natura, consuetudo, & præscriptio inducere potest, ut non detur obligatio eas solvendi in natura, sed tantum in pretio. Ita sentio cum Illust. D. Schmid *ad cit. art. 8. n. 3.* Ratio primæ partis est: quia si non constat, quo titulo hæcenus solutum duntaxat pretium fructuum fuerit, ex tempore inæmoriæ præsumi & allegari poterit constituti, vel privilegij, similisve alius titulus, uti ex varijs legibus probat Covarr. *in reg. Possessor p. 2. §. 4. n. 6. V. Poterit, & l. 1. var. c. 17. n. 5. V. Sed si.* Ratio secundæ partis est: quia si coloni renuerunt solve-  
re decimas in natura & acquiescente decimatore dederunt tantum pretium, obtinuerunt quasi possessionem, cui si juncta fuit bona fides (quæ tamen vix adesse poterit, si constat de venditione vel loca-  
tione prius factâ) accedatque simul tempus ad præscriptionem requisitum, non est ratio, cur locus præscriptioni contra decimatorem esse nequeat, ut constat à fortiori ex ijs, quæ de præscriptione immunitatis ab onere decimarum dixi *n. 291. & de consuetudine n. 260. & seqq.* Quantum verò tempus ad hujusmodi præscriptionem requiratur, dictum est à *n. 297.* Neque obstat, quòd laici præscribere decimas nequeant, ut fusè ostendi à *n. 476.* tametsi enim præscribere jus decimandi nequeant, possunt tamen præscribere immunitatem, ac consequenter, & quidem à fortiori, certam rationem ac modum solvendi, cum sic nihil spirituale præscribant. Pariter non obstant, quæ *n. 561. ex tit. 28. art. 8. Stat. Bav.* recitavi: sunt enim tantum intelligenda de casu assert. primæ, non verò de secundæ.

## QUÆSTIO VII.

### Quando solvende sint Decimæ?

#### SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 567. Ratio dubitandi ex c. 7. de Decim.                     | 570. Personales in fine anni solvuntur.                                     |
| 568. Prædiales statim post fructus collectos solvenda sunt. | 571. Decima ex animalium fructibus, quando isti sine matre nutrirî possunt. |
| 569. Solvitur objectio.                                     |   |

Li

Quam

567 **Q**uamvis *c. 7. h. t.* unâ regulâ hæc quæstio decidi videatur, cum sine discrimine fructuum absolute ibi asseratur, decimas statim collectis fructibus persolvendas esse: varia tamen solutionis faciendæ tempora pro varietate rerum, ex quibus illæ solvuntur, assignanda esse, constans est omnium DD. sententia.

568 **A**ssert. I. Decimæ prædiales statim post collectos fructus solvendæ sunt. Ita deciditur *cit. c. 7. ibi: Mandamus, quatenus eos cogatis, ut decimam statim fructibus collectis persolvant.* Qui textus, cum de aliquibus saltem fructibus intelligi debeat, commodissimè sumitur de prædialibus, ut ex dicendis patebit: estque decisio conformis legi Divinæ *Exodi 22. v. 29. Judæis scriptæ Decimas tuas & Primitias tuas non tardabis reddere.* Accedit, quòd cum præceptum de solvendis decimis sit affirmativum, & sic non obliget pro semper, certum tempus pro illo assignari oportuit: at nullum commodius, quàm illud, quo collecti fuerint fructus, assignari potuit; tum quòd aliàs portio Ecclesiæ debita per moram facile perire posset; tum quòd illa tunc incipit habere jus magis certum & dominium fructuum quoad decimam partem, ut loquitur *Suar. c. 37. n. 3.* Ex quo idem alitque post *Gloss. Panor. ac Rebuff.* inferunt, si idem prædium bis tæve eodem anno fructus se-

rat, decimas inde solvendas non esse simul, v.g. in fine anni, sed singulas esse reddendas suo tempore, nimirum statim ac singuli fructus collecti fuerint.

Neque valet, si quis fortè dicat, *169 ex cit. c. 7.* desumi, quòd decimæ in agris peti non possint, sed tantum, quòd in horreis; eò quòd tunc demum fructus collecti dicantur: nam juxta communem DD. per collectos fructus ibi intelliguntur percepti; *perceptionem autem fructus accipere debemus, non si perfecte collecti, sed etiam cepti ita percipi, ut terrâ continere se fructus desierint,* ut inquit *Labeo l. 78. ff. de rei vind.* Hinc ad bonæ fidei possessorem fructus pertinent, quoquo modo à solo fuerint separati, ut dicitur *l. 25. §. 1. ff. de Usur. & l. 38. ff. prim. ff. de acquir. rer. dom.*

**A**ssert. II. Decimæ Personales, sicubi in usu sunt, debentur in fine cujuslibet anni. Ita tradit communis post *Alenf. Panor. ac Joan. Andr.* contra *Card. in c. 28. h. t. g. 16.* qui ait, statim solvendas esse, quando lucrum factum est, eò quòd lex inter personales & prædiales non distinguat. Verùm *cit. c. 7.* loquitur de fructibus, ac idcirco solum de prædialibus decimis, nec ulla lex alia asserit universim de decimis, vel in specie de personalibus, eas statim solvendas esse. Unde bene asseritur, personales in fine singulorum annorum solvendas esse, quia hoc Ecclesiæ est utilius, & magis



gis accommodatum moribus humanis, ut ait Suar. *l. c. n. 3.* utilius quidem, quia particularis solutio multa incommoda affert *l. 3. ff. fam. ereisc. c. 5. de pignor.* magis verò accommodatum moribus hominum, quia tributa, census, & pensiones, quibus decimæ personales æquiparantur, ordinariè in fine anni solvuntur. Monet tamen Rebuff. *g. 12. n. 4.* post Anton. de Butrio ac alios, non debere recusari, si intra annum solvuntur, ac recusari non posse certum esse existimat Moneta *c. 6. g. 3. n. 13.* Dilatio verò ultra annum non est permittenda, nisi consuetudine sit introducta, ut notat Suar. *l. c.* Monet idem Rebuff. *n. 5.* cum Hostiensi, expedire ex lucro statim separari decimam partem, eamque postea Curato indigenti dari, in eleemosynas, aliæque pia opera expendi, idque ait se vidisse factitatum à multis, addens *n. 6. c. sic mercatores debent & alij artifices facere, si prosperè velint sibi omnia succedere, ut docet Gloss. & Doct. in c. decima l. 6. g. 1.* Observant denique universi, dum de decimis personalibus agunt, quoad tempus solvendi consuetudinem observandam esse.

171 Assert. III. Decimus animalium

foetus solvendus est, cum lacte est depulsus, & sine matre nutriri potest, ut post Joan. Andr. Anchar. ac Boich. in *c. 7. h. t.* tradunt omnes. estque decimum Jure nostro Patrio *tit. 28. art. 16.* Wo auch der Blutz Zehendt gebräuchig/ den soll man geben/ wann die Thier außereit zeitig. Additur (quod singulare hic est & juxta dicta *n. 559.* in alijs fructibus non permissum) im Blutz Zehendt mag man von jeder Sorten von einnem Jahr zum andern zehlen. Ratio, cur decimandi non sint foetus nisi lacte depulsi, est, quia sicut juxta *l. 68. ff. de solut. furioso & pupillo* absque tutoris & curatoris auctoritate non rectè solvitur, *ne datio ex illorum imbecillitate pereat;* ita foetus dandus non est, quia ex sua imbecillitate periret. Ubi decimæ ex reliquis animalium fructibus consuetudine abrogatæ non sunt, solvi debent, quando illi sunt collecti; nimirum lana, quando oves sunt detonsæ; lac & mel. quando sunt collecta; casei & butyrum, quando sunt confecta. Verum ut præter alios notant Rebuff. *cit. g. 6. à n. 31.* & Suar. *l. c. n. 6.* hic maxime observandæ sunt consuetudo & privatæ transactiones.

